



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**TRACTATVS|| DE CON-||FESSIONIBVS MA=||LEFICORVM ET
SAGA-||RVM SECVNDÒ RECOGNI||tus, & auctior redditus.||
An, & quanta fides ijs adhibenda sit?||**

Binsfeld, Peter

Avgvstae Trevirorum

VD16 B 5530

Sexta Conclusio: Dæmones sæpè de actibus humanis coniecturaliter vera
prænunciant.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41113

nostro, S. Antonio, Hilarione, & multis alijs. Ergo non præcognoscit futura ad vtrumlibet.

Sexta Conclusio. *Dæmones sæpè de actibus humanis coniecturaliter vera prænunciant.*

RATIO: Quoniam Dæmones passiones appetitus sensitiui, ac inclinationes corporales cognoscunt, & cùm plures sint, qui appetitum & carnalia desideria sequuntur, quàm qui illis resistunt, sæpè de actibus humanis vera conijciunt. Qualis enim quisq; est, talem sibi finem præscribit. Ex externis etiam signis & operibus qualis interior homo sit, non est difficile iudicare, iuxta illud Euangelij. A fructibus eorum cognoscetis eos.

Septima Conclusio. *Cogitationes hominis pendentes à voluntatis nostræ libertate, si solo intellectus & voluntatis termino contineantur, Dæmones non cognoscunt.*

PROBATVR. Quia hoc diuinæ maiestatis proprium est. Ieremiæ 17. Præuū est cor hominis & inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, & probans renes. I. Paralip. cap. 28. Omnia enim corda scrutatur Dominus, & vniuersas mentium cogita-